



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio IX. In qua de Contritione perfecta & imperfecta seu attritione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

U. Adhuc unum dico : apparet quod actus externus peccaminosus sit circumstantia aggravans internum, igitur si tenemur confiteri actum externum, etiam confiteri tenebimur circumstantiam aggravantem ?

S. Tenemur confiteri actum externum non tanquam circumstantiam aggravantem, sed tanquam quid superaddens novam malitiam actui interno numero distinctam vel (*ut quibusdam placet*) quia actus externus pertinet ad ipsam peccati substantiam, integrans unum peccatum cum interno actu peccaminoso. Denique juxta doctrinam *Trid.* omnia peccata mortalia, tam externa, quam purè interna, sunt materia necessaria Confessionis.

QUÆSTIO IX.

In qua

De contritione perfecta & imperfecta seu attritione.

Vicar. **A**udire volo qualis dolor requi-

E 4

qui-

quiratur ad valorem Sacramenti
nitentiae?

Sac. Requiritur *dolor verus, formalis
expressus, supernaturalis*, habens
nexum *propositum emendationis*
seu non peccandi de cætero, *ante
dens absolutionem Sacramentalem.*

V. Cur dixisti: *dolor verus?*

S. Ideò: quia cum dolor sit mater
proxima hujus Sacramenti, ad illius
valorem non sufficit tantum existimari
tus, sed omninò verò esse debet, quem
admodum pro Baptismi valore verum
absolutio.

V. Cur dixisti *formalis & expressus?*

S. Ideò: quia cum ad hoc Sacramen-
tum sit necessaria actualis memoria
peccatorum, ita ut Pœnitens hoc Sa-
cramentum suscepturus debeat actu
cogitare de peccatis suis in Confessio-
ne aperiendis, necessarius est *dolor
formalis & expressus*, seu explicitus.

V. Nonnè dolor virtualis est sufficiens
ad justificationem?

S. Non

S. Non considero nunc justificationem extra Sacramentum, verum in Sacramento, ubi occurrunt menti peccata; imò etiam extra Sacramentum, e. g. amor DEI super omnia, non contentaretur dolore virtuali, si menti occurrerent peccata, sed mox faceret sequi dolorem formalem & expressum, nè daretur ansa concipiendi interpretativè in peccatore, locò detestationis peccatorum, complacentiam in ipsis: præterquam quod ad dignam hujus Sacramenti susceptionem necesse sit peccatorem suscitari, vel simpliciter per contritionem, vel secundum quid per attritionem, adeoq; per dolorem formalem & explicitum.

U. In casu, quo Pœnitens neq; complacentiam neq; displicentiam haberet de peccatis, non poneret obicem?

S. Quamvis non poneret obicem positivè, poneret nihilominus negativè, quia poneret carentiam doloris à Concilio. requisiti, verè etenim ac propriè non doleret. E s U. Quid

U. Quid si doleret, quòd non do-
de peccatis suis prout deberet?

S. Sac. Conc. Trid. definit debere
dolorem de peccatis, non ergo suffi-
ens dolor de carentia doloris debi-
prætereà cùm accusatio Sacramen-
tis sit accusatio dolorosa de peccatis
de ipsis formalem requirit dolorem.
U. Si fortè doleret Pœnitens, quòd
lor, quem habet de peccatis, non
sat intensus, vel quòd non sit sensu-
lis, essetnè actus ille sufficiens ad
lorem Sacram. Pœnit.?

S. Effet: quia dolor reconciliativus
catoris cum DEO non requirit certum
aliquem intensiōnis gradum, aut de-
terminatum voluntatis conatum, nec
certam aliquam durationis moram
neq; ut tot eliciantur doloris actus
quot peccata sunt commissa, quam
optimum sit, & quàm maximè optan-
dum, ut quis Pœnitens quamplur-
mos eliciat actus doloris, eosq; quan-
tum poterit intensos, exq; summo

lūtatis conatu: (Bellar. Lib. 2. de Sac. Pœnit.) item, cū dolor iste in voluntate sedem habeat, non requiritur ad valorem Sacramenti, ut sit sensibilis, potestq; stare detestatio peccati, absque dolore sensibili.

V. Doleretne sufficienter peccator per ly vellem me non peccasse?

S. Tenendo voluntatem istam continere actuale displicentiam peccati, actus ille non careret sufficienti dolore. Gamach. de contrit. c. 7.

V. Cur suprā adjecisti ly *supernaturali*?

S. Quia Sac. Conc. Trid. dolorem ad hoc Sacramentum requisitum vocat *donum DEI, & impulsus Spiritus S.* Et numquid hic dolor proximè & ultimo disponit ad justificationem, seu formam supernaturalem gratiæ?

V. Ergo dolor conceptus ex motivo purè naturali v. g. ob infamiam, vel ob pœnas ab homine infligendas non sufficit ad valorem Sacramenti?

S. Non: insuper adverto dolorem hunc

debere esse cum fiducia Divinae
 ricordia.

V. Cur interposuisti *ly habens am-
 xum propositum emendationis &c.*

S. Quia locutus sum juxta doctrinam
 Trid. & ad propositum lego in Cate-
 Rom. part. 2. c. 5. qui amico à se offen-
 sult reconciliari, oportet, ut & doleat
 quod in eum injuriosus, atq; contumeli-
 sus fuerit, & de ejus amicitia imponere
 non amplius ledenda sollicitè provideat
 at &c.

V. Propositum istud debetnè esse *for-
 male & explicitum?*

S. Optimum tale, & regulariter lo-
 quendo necessarium, quamvis aliquan-
 do etiam sufficiens sit *virtuale & im-
 plicitum (Med. Navar. & alij.)*

V. Quando?

S. Tunc: dum Pœnitens totus defixus
 esset in perpendendis peccatis suis, at-
 que ex intimo cordis affectu doleret,
 se per ea DEUM infinitè bonum, & di-
 gibilem offendisse, ità tamen, ut de
 vita

vita in futurum rectè instituenda non cogitaret.

U. Hæccinè vera Pœnitentia?

S. Omninò : quia vera aversio à peccato, & vera conversio ad DEUM ; sic operatus est ille, qui dixit solùm : *peccavi Domino ! & continuò audivit : Dominus quoq; transtulit peccatum tuum.*

U. Sed quomodo tunc intercederet propositum *virtuale & implicitum*?

S. Sic : quia Pœnitens ille de peccatis commissis dolens, ità est dispositus & affectus, ut si de futuro tempore cogitaret, peccata illa in posterum devitare firmiter & expressè proponeret : adverto autem hoc propositum debere esse universale, id est : extendens se ad omnia peccata vitanda.

U. Si ad omnia, igitur debet Pœnitens etiam in Confessione venialium habere propositum vitandi in posterum quodlibet veniale?

S. Qui confitetur sola venialia, intendit accedere ad Sacramentum Pœnitentia.

tentia, sic autem est juxta doctrinam
Trid. Sess. 14. c. 4. accedentem ad
 sacramentum Pœnitentiæ debere habere
 se dolorem de peccatis cum proposito
 de quo hætenus nobis fuit sermo, et
 necesse erit habere propositum saltem
 virtuale vitandi imposterum quod
 bet veniale.

U. Propositum efficax circa impossibile
 le quis eliciet?

S. An fortè impossibile homini vitare
 etiam quodlibet veniale? potentia
 physica ad vitanda omnia venialia est
 & moralis haberi potest, dato à misericordissimo
 DEO aliquo specialissimo
 auxilio.

U. Sed dicito mihi, cur illud firmum
 propositum extendis ad Confessionem
 Sacramentalem etiam venialium delictorum,
 quando quidem rationabiliter non requiratur,
 nisi in Confessione mortalium?


S. Ideò: quia si accedens ad Sacramentum
 Pœnitentiæ: cum solis venialibus
 non

non haberet propositum saltē virtuale illa vitandi, accederet indispositus, poneretq; obicem eorum remissioni, quia censeretur habere complacentiam de ijs, nec videretur effectivē illa detestari: præterea (& melius) propositum universale vitandi omnia peccata ponit *Trid.* inter dispositiones ad justificationem, sed numquid confitens sola venialia intendit justificari? ergo debet habere propositum singula illa cavendi, & cautē vivendi, quantum ex Divina gratia sibi concedetur.

U. Percipe: debet habere propositum vitandi imposterum venialia similia ijs, quæ confitetur, non ergo est necesse ut circa alia venialia habeat hoc propositum?

S. Nequaquam: nam cum tali proposito limitato ad similia peccata venialia tantum evitanda, qualia est confessus, stare potest voluntas commitendi alia diversa, sicut ergo in Confessione mortalium non sufficit pro-

po-



positum sic limitatum, sed requiritur
propositum universale omnia pro
mortalia evitandi, sive similia ijs, quæ
confessus est, sive dissimilia & alterius
speciei, ita etiam dicendum de propo-
sito in Confessione venialium requi-
sito.

U. Ex hoc videretur esse eadem obli-
gatio in Confessione mortalium, &
venialium?

S. Minimè: nam ad Confessionem mor-
taliū homo graviter obligatur, non
autem ad Confessionem venialium,
cū hæc possint omitti; dato tamen
quòd spontè quis velit illa subijcere
clavibus, tenetur ponere illas condi-
tiones vel partes necessarias ad hoc
Sacramentum, inter quas est præfa-
tum propositum.

U. Dicis ad Confessionem mortalium
hominem graviter obligari, jam peto:
an quoq; sit obligatio pro valore Sacra-
menti Pœnit: habere dolorem univer-
salem, extendentem se non solum ad
pec-

peccata mortalia confessa, seu menti
occurrentia, verum etiam ad peccata
oblita?

S. Ita sentio.

U: Igitur unus idemque dolor, & pro
valore, & pro fructu Sacramenti Pœ-
nitentiæ?

S. Unus: cum *Sac. Concil. Trid.* non fa-
ciat distinctionem inter dolorem re-
quisitum ad valorem, & inter requisi-
tum ad fructum gratiæ per Sacramen-
tum conferendæ; imò expressè doceat
dolorem eatenus esse partem Sacra-
menti, quatenus est requisitus ad ple-
nam & perfectam remissionem pecca-
torum, adeoq; extendi debet etiam ad
peccata oblita: hinc noto: in Confes-
sione valida, debere implicitè includi
etiam peccata oblita, prout docet cit:
Trid. Sess. 14. c. 5. dum inquit: *reliqua
autem peccata, qua diligenter cogitandi
non occurrunt, in universum eadem Con-
fessione inclusa esse intelligantur, pro qui-
bus*

*bus fideliter cum Propheta dicimus; ac
cultis meis munda me Domine.*

V. Responsio tua probat Sacramentum Pœnitentiæ non posse esse validum & informe.

S. Hoc ipsum dicere volo fundatum in doctrina *Conc.* quàm *D. D. Angel.* *Subtil.*

V. Doctrina Angelici quoad hoc non est pro te.

S. Montrando Pœnitentem non habentem alia peccata, nisi post Baptismum commissa, seu per solum Sacramentum Pœnitentiæ deletibilia, loquens ad mentem Angelici, & ita sentiens sequaces illius, nunquam videlicet Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum & informe respectu illius subiecti, quod fructuosum Baptismum suscepit.

V. Ostende ergo validitatem cum infirmitate in eo, qui infructuosum suscepit Baptismum.

S. Ostendi aut assignari non potest, nisi

si in aliquo casu Metaphysico, qualem ponit quidam Theologus & est iste: Judæus adult⁹ multorum criminum personalium reus suscipit Baptismum cum fictione inculpabili, quia ex invincibili ignorantia omittit elicere attritionem, adeoq; non percipit fructum Baptismi, seu remissionem peccatorum per Baptismum debilius post Baptismum autem sic validè, sed infructuosè susceptum, iterum sapius peccat mortaliter, accedit deinceps ad Sacrament: Pœnit: & elicit attritionem universalem, de omnibus peccatis post Baptismum commissis, ex hoc universali motivo, quòd illa ut Christianus ob susceptum Baptismum Deo ingratus commiserit, qui dolor nullo modo se extendit ad peccata ante, vel in Baptismo commissa (*quia hæc non sunt peccata ingrati Christiani*) & alium dolorem de illis peccatis ante vel in Baptismo commissis, iterum ex invincibili ignorantia omittit, in hoc casu Sa-
cra-

crament: Pœnit: est validum, quia
bet omnes partes ad valorem requi-
tas, & simul est informe ac infructu-
sum, quia licet ille dolor per se sit su-
ficiens dispositio ad remissionem om-
nium peccatorum per Sacrament: Pœ-
nit: debilium, per accidens tamen
non potest Pœnitentia in tali casu o-
perari suum effectum gratiæ, nisi si-
mul Baptismus reviviscat, & operetur
remissionem peccatorum ad se perti-
nentium, Baptismus verò reviviscere
non potest, quamdiu peccata ante
vel in Baptismo commissa aliquo dolo-
re non retractantur.

V. Adhuc audire volo cur supra re-
spondens adjeceris, *ly dolor antecedens
absolutionem Sacramentalem?*

S. Sic me dicere oportebat, utpotè qui
non ignoro dolorem esse dispositio-
nem ad gratiã per absolutionem con-
ferendam, & per consequens necessa-
riò antecedere debere saltèm absolu-
tionē, prout etiam docet praxis Con-
fes-

fessariorum, excitantium Confessione paractâ Pœnitentes non exprimentes verbo aut signo dolorem de peccatis, ad eundem eliciendum.

QUÆSTIO X.

In qua continuatur eadem materia.

Wicar. **P**roferatur definitio contritionis perfectæ.

Sac. *Contritio est detestatio & dolor de peccato commisso, prout est offensa DEI, siue propter DEUM summâ dilectione dignum: vel contritio (ut pars Sacramenti Pœnitentiæ) est dolor voluntariè assumptus, quo quis detestatur peccatum super omne detestabile, quatenus est offensa DEI cum proposito non peccandi de cetero, & Sacramentaliter confitendi, ac satisfaciendi datâ opportunitate. Ità Scor. in 4. D. 14. Q. 2. Art. 2. S. Bonavent. in 4. D. 16. Art. 1. Q. 1. Suar. Diss. 5, S. 1. de Pœnit.*

U. Ergo in contritione includitur votum confessionis, seu Sacramenti?

S. Om-